



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Manvale Parochorvm, Sive Institutiones & Praxes Tum  
Vitæ, tum Officii Pastoralis**

**Musart, Charles**

**Monachii, 1654**

IV. Quando, & quomodo sepeliendi mortui.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41616**

Quando sepeliendus mortuus?

C<sup>A</sup>ueant ii, quibus exequiarum,  
& funeris cura incumbit, ne sta-  
tim à morte obitā sepeliant; minūs  
humanum, aut vrbānum est, corpus  
exanime mox in sepulchrum proīici,  
aut humo tegi, & subinde periculo-  
sum. Noui puer hominem, qui ex vi-  
no combusto largius sumpto ita re-  
frixerat, & impalluerat, ut pro mor-  
tuō sindoni insuēretur: at cūm pri-  
mūm se acū pungi sensit, corpus mo-  
uere cœpit, & paulò pōst occlamare.  
Præterea quendam audiui extremo  
supplicio affectum, cūm obtentā sa-  
crā sepulturā delatus esset ad locum,  
repentē se commouisse, & aliquam-  
diu vixisse. Annales Rectorum huius  
Vniuersitatis referunt, alium è pati-  
bulo à carnifice suspensum, cūm post  
quinque, vel sex horas, à suspendio  
delatum cadauer ad Anatomiam in

L cali-

calido loco depositum, se mouisse, & planè sibi redditum. Ob hanc, opinor, rem, & cuiusdam in mortuum pietatis causâ, alicubi per viginti quatuor horas, alibi saltem per duodecim, defunctorum corpora loco honesto, & à bestiis, quæ infestare possent, securò, asseruantur cum cruce, & lumine, nonnullis etiam orantibus. Excusare possunt has moras aliquæ nonnunquam causæ: Tu obseruabis receptam tuo loco consuetudinem, & cùm opus fuerit aliquâ maturatione, à prudentiâ consilium petes.

Iam quod ad diem, & horam sepulturæ attinet, non video, quid vetet etiam diebus Dominicis, & Festis, imo die ipso Paschæ mortuos sepeliri, si ratio id exigat, neque propterea celebritas Festi diei impediatur. Die tamen Veneris sancto si sepelias, abstinentium erit à pulsu Campanæ, qui tunc est prohibitus. De nocte priuatum sepelire quibusdam locis prohibemus.

bent Episcopi; quibus tunc parendum est: nam publica sepultura ritus est Religionis Christianæ, & honor Christiani defuncti, atque immortalitatis animæ publica professio. Consuetudo quibusdam in locis fert, ut Missa, præsente corpore, ante sepulturam celebretur; eam tu obserua, si apud te recepta est. Non conuenit tamen Festis, præsertim solemnioribus, fieri Missam de Requiem, nisi Missa altera haberi possit de festo.

## NVM: V.

## De Exequiis, loco sepulturae, &amp; functione funebri.

Exequias fieri, & corpus duci honeste, & decenter, sacrōisque ritus obseruari, iuxta receptam tuæ Parochiæ consuetudinem, Christianæ pietati consentaneum est. Cauabis autem, ne nouæ consuetudines in deducendo funere inducantur; multò etiam magis, ne quid, quod sapiat supersti-

L2                    persic.